



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Winwalocvs C. 3. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. WINWALOCVS C. 3. Martij

EX regio sanguine Anglorum se octum WINWALOCVS vel ex hoc ostendit, quòd puerulus jam omnia præ se despexit, id demum regium ratus non terræ particulam aliquam, sed omnem omninò pedibus mundum subdere. Sed religionem cogitanti obstitit pater, magnum apud filios nomen, & pietatis hodie etiam remora. Dissecit tamen etiam hoc obstaculum fulmen, quod deprehensum in campis patrem tam diu humi affixit, dum filium cælo, & religioni non invideret. In hanc receptus magnis statim ostentis cœpit eminare, Illud, puto, multis non lectu minùs, quàm scriptu nobis jucundum erit. Sororcula WINWALOCI anserem domi habebat familiarem. Huic dum incautus (ut ferè fit) colludit, ecce in vultum delicias facientis hic involat, serratoque osculo oculum exsculpit degluritque, heu! nimis delicatum nequam stomacho cibum. Lusca puella alterum etiam oculum plorando videbatur amissura, cum cælestis Alitis monitu WINWALOCVS supervenit, prædonem oculi anserem medium secat, erutumque oculum loco suo reponit, ipsum etiam anserem ad gregem suum mittit, nimis miri in improbum animal supplicio. Sed quid anseres reprehendimus? libentius audiemur WINWALOCVM laudare, qui centies & nocte, & die in genua se abjicere solitus. cum obitum suum pridie ab Angelo didicisset, fecit mane, & ad aram ipse quoque victima placidissimâ morte procubuit. *Ex Surio.*

*Magna & rara virtus est, ut magna licet operantē
magnum*

magnum te nescias, & manifestum omnibus tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare. hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. S. Bern. serm. 13. in Cant.

S. KVNENVNDIS AVGVSTA V.
3. Martij.

NVlla tam in diademate KVNENVNDIS gemma, quam in ipsa KVNENVNDE virginitas splenduit; quæ ut cæli oculos mirè recreavit, ita Cacodæmonis usque ad eò perstrinxit, ut, quando extinguere non poterat, offuscare saltem sinistris apud animum HENRICI suspicionibus sit admissus: sed provocavit ad flammam iudices innocentia, & innoxius à ferro candenti pes egregium inculpato animo testimonium dixit. Porro cum tori castissimi custodem mors abstulisset, verita KVNENVNDIS tantum thesaurum mundo concedere, in Caufungensem, quem ipsa struxerat, Parthenonem cum eo se abdidit; cuius disciplinam cum Vita nepris ejus laxaret, verbis sapiùs nequidquam increpitam, tandem etiam manu objurgavit & digitorum luculentas notas in genâ istæ reliquit, nullâ deinceps arte confusas vel deletas. Morituræ de cælo Henricus obviam iit, ad sistendum Iudici orbis miraculum, Imperatores conjuges sed virgines: ad tumulum ejus multis vita reddita; qui cum KVNENVNDEM matrem suam salutarent, probarunt immeritò virginitati sterilitatè objici; quid? quòd nec ipsa gleba, sub quâ virgo cubat, infecunda fuit, sæpe in thus & far conversa, persuasura mortalibus, nec fragrantiorẽ esse castimoniã virtutem, neque felicius ullum germen. *Ex vitâ apud Gretserum.*